





23

Pri. g. num. 44.

1762, 10.

I V S
RELVENDI PIGNORIS
AN TEMPORE LONGISSIMO
PRAESCRIBATUR

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XII. AVG. A. C. MDCCLXII

DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTHELFF LORENTZ

ZWOENIZ. MISN.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA



P. 174.



1784 p. 100

I V S
REI VENDI PIGNORIS
AN TEMPORE LONGISSIMO
PRAESCRIBATUR

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

FRANCO SINI

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SAPREM. CVM PROVINCIALI ET CONSIST.
PRAESIDENTI

IN AUDITORIO ICTORVM


D. XII AVG. A. C. MDCCCLXII

DECRET

CHRISTIANVS GOTTHELF LÖRENTZ

ADVOCATVS

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA



Handwritten scribbles or initials on the right margin.





I V S
RELVENDI PIGNORIS AN TEMPORE
LONGISSIMO PRAESCRIBATVR.

§. I.
Videor mihi nuperrime demonstrasse, (errorem
enim, si quem a me commissum intellexero,
non diffitebor) ius retroemendi indefinite con-
cessum longissimo tempore praescribi. Hac,
etiam frequentior est inter Ictos optimaе notae controuer-
sia, ius reluendi pignoris an praescriptioni sit obnoxium,
quod multi etiam eorum negant, qui, obstare retroemuro
praescriptionem longissimi temporis, concedunt. Videamus,
an recte. Et, an differentia, quae negotia haec intercedit,
tanta sit, vt quoad praescribendi facultatem diuersa statuere
debeamus. Praecipuas quidem, ex quibus haec etiam iuris
quaestio iudicari debet, rationes in ista, de iuris retroemendi
praescriptione, dissertatiuncula exposui, quibus ideo hic etiam
erit insistendum. Quas vero haec res ab illa praecipuas
exigit atque distinctas obseruationes, suffe-
cturas puto, et huic nostro instituto egregie inferuientes.

Instituti ratio.



§. II.

*De ratione et
natura prae-
scriptionum.*

Vt vero de ea re inter nos constet, sine dubio effieci-
mus, si de vera introducendae praescriptionis ratione, eiusque
natura antea viderimus. Illa, prouti res ipsa, et leges loquun-
tur, triplex est, partim, ne semper dominia rerum possessio-
nesue incertae sint, *Pr. Inst. d. Vſucap. et long. temp. praescript.*
l. 8. §. 1. C. d. Praescr. 30. vel 40. annor. partim, quod donasse
intelligitur, qui patitur vſucapi, *l. 28. D. d. V. S.* partim de-
nique, vt negligentia, quam quis in persequendo iure suo
committit, puniatur, *l. 3. C. d. Praescript. 30. vel 40. annor.*
Non enim omnis generis praescriptiones id efficiunt, vt
dominium alicuius rei tribuant praescribenti, verum duos
praescriptio producit effectus, vt nimirum vel dominium
adiiciat, vel detinendi ius possessori contra dominum tri-
buat *cit. l. 8. pr. et §. 1. C. d. Praescript. XXX. vel XL. an-
nor.* iurisue personalis inducat amissionem, *cit. l. 3. eod.*

§. III.

*Breuis concie-
tio requisito-
rum praescri-
ptionis secun-
dum varia
eius genera.*

Praeter temporis lapsum, in illa praescriptione, quam
inter ciuiles dominii acquirendi modos recenseri scimus,
ius nostrum requirit, vt quis bona fide, rem, non diserte
praescribi prohibitam, ex iusto titulo, sibi traditam accepe-
rit. Vt tantum non omnes res, quae longo tempore prae-
scribi haud patiuntur, propterea etiam longissimi temporis
respuant praescriptionem. Quod si vero id solum prae-
scriptione agitur, vt ius detinendi rem alienam, siue defen-
sionem contra dominum nanciscamur, bona fide quidem
impune destituimur, an vero etiam titulus omnino in hoc
praescriptionis genere redundet, quo non dominium con-
sequi,



sequi, verum possessionem tantum nostram contra dominum, per tempus longissimum agere intermittentem, defendere studemus, magis dubium est. Et puto, eo esse respiciendum; actio, ad reuocandam rem, quam alter ex causa, transferendo dominio haud inferuiente, accepit, atque adeo dantis possessionem sua detentione continuauit, ante tempus longissimum nata atque adeo praescripta fuerit, an minus. Si posterius, ad restituendam rem detentor iste procul dubio tenetur, neque detentione sua, vltra tempus praescriptum continuata, contra dominum tueri se valet, quia non valenti agere, cui in persequendo iure suo culpa imputari nulla potest, nulla currit praescriptio. Hinc proprietarius rem suam, quae alteri vsumfructum vltra tempus praescriptioni statutum seruiit, atque adeo ab illo tanquam vsumfructuario possessa fuit, ab heredibus eius iure suo vindicat, quia rei vindicatio, hoc loco, post mortem demum vsumfructuarii nascitur, ex quo adeo tempore praescriptio est inchoanda. Hinc ex eadem causa dominus feudi, et emphyteusos propterea, quod vasallus vel emphyteuta vltra longissimum tempus feudum vel emphyteusin possederint, licet suo nomine possederint, ex feloniam commissa vel canone per legitimum tempus non soluto, rem suam recte vindicant. Hinc etiam locator, cui mercedem colonus statutis temporibus soluit, licet vltra longissimum tempus expresse taciteue relocationes fuerint factae, colonum quo minus expellat, finito contractu, nihil impedit *l. 2. C. d. Praescr. XXX. vel XL. annor.* Longe dispar vero est ratio commodantis, quem minus recte eodem iure censet



STRVV. *in Iprud. Rom. Germ. Lib. II. Tit. IX. §. 19.* hunc enim, si vltra longissimum tempus, ex quo restitutio debebatur, rem commodatam sibi restitui non curavit, ex commodato nunc agentem, opposito praescriptionis beneficio, quo omnes omnino profligantur actiones personales, *cit. l. 3. C. d. Praescript. XXX. vel XL. annor.* iure suo excipit commodatarius.

§. IV.

*Praemissa
praecepta ad
nostram cau-
sam applican-
tur.*

Videamus, an aliter de pignoris reluendi facultate habendum sit. Debitor, qui creditori rem suam tradit, vt penes eum sit, vsque dum solvatur debitum, facultatem, detinendi eam, et sibi habendi, mediante contractu pignoratitio creditori tribuit, sibi que adeo simul ius, debiti restitutione eam recuperandi, acquirit. Hinc, quoniam omnia iura, pacto vel contractu nobis quaesita, amittuntur, si, ex quo tempore nata sunt, intra tempus longissimum negligantur, et ex eadem causa, nemine contradicente, creditor ius exigendi debiti, postquam exigi potuit, intra longissimum tempus ad iudicem non delatum, amittit, non intelligo, cur non eodem contra iure creditor vti, debiti que intra longissimum tempus, offerri licet potuerit, non oblatis, si postea offeratur, recusandi licentiam habere debeat.

§. V.

*Remouentur
obieciones.*

Obiicis, facultatem debiti offerendi, vt pignus restituitur, esse mere naturalem, adeoque, quoniam haec aliter praescribi non possit, nisi, postquam alter prohibuerit, longissimum tempus fuerit elapsum, nec hoc intuitu aliter esse sentiendum. Id vero vehementer nego, iura ex contractu oriunda quocumque tempore impune negligi et exerceri, quae



quae est ratio eorum, quae ex libertate mere naturali fiunt, ut potius haec omnia, in poenam negligentiae commissae, intra longissimum tempus haud exercita expirent. Nihilque efficies, etiam post oblatum debitum demum nasci actionem pignoratitiam, adeoque ex hoc tempore inchoandam esse praescriptionem, dixeris. Hoc enim verum est, quamdiu invito creditori debitum solui potest, ex quo autem hanc facultatem debitor per praescriptionem amisit, sine dubio pignoris restituendi obligatio, quae sequitur debiti solutionem, causa hac cessante, simul, tanquam effectus, cessare debet. Alia omnia, si creditor debitum acceperit, quo facto ad restituendum pignus se recens obligat, nouaque adeo praescriptione ad auertendam hanc obligationem opus habet.

§. VI.

Neque etiam, quod imprimis graue argumentum videtur *CVIACIO* ad *l. 13. D. d. Vfus.* et *HVBERO* in *Prae-*^{*Alia dubia*}
lect. ad Pand. Lib. XX. Tit. VI. §. II. quod videlicet creditor non suo, verum debitoris nomine possideat, ex quo etiam debitor, mediante creditore, contra tertium (quod non inficior) rem oppignoratam praescribere valeat, eius est grauitatis, ut propterea in contrariam sententiam patiar me induci. Licet acutus ille *CVIACIVS* exin, absurdum esse, inferat, creditori ex praescriptione opem ferre contra debitorem. Scilicet *l. 25. D. d. Vsurp. et Vfuscap.* quae, nullam esse sine possessione (siue animo sibi habendi) praescriptionem, dicit, et quam hoc loco *CVIACIVS* et *HVBERS* aliique complures, eandem sententiam amplexi, respiciunt,
de



de usucapione, siue praescriptione, quae civilis est adquirendi domini modus, agit, minime vero de illo praescriptionis genere, quod saepius *cit. l. 3. C. d. Praescr. XXX. vel XL. annor.* constituit, et in punienda negligentia eius, qui iure suo intra legitimum tempus haud usus fuit, nullo personae obligatae facto ad hoc requisito, versatur. Quemadmodum nouimus, seruitutem intra legitimum tempus haud exercitam amitti, etsi seruiantis praedii possessor nihil egerit, nec seruitutis exercitio contradixerit, *l. 18. l. 20. et tot. tit. D. quemadm. seruitutt. amitt.* Ex quo intelligitur, plane nihil absurdi inesse, concedere, quod creditor nomine debitoris possideat, eique dominium, perfecta usucapione, contra tertium adquirat, simulque propugnare, ius soluendi pignoris, post solutionis terminum, intra longissimum tempus haud exercitum, amitti, nec postea creditorem, vt solutionem accipiat, et pignus restituat, posse compelli. Plura vide apud VINNIVM *Selaectar. Iur. Quaest. L. II. Cap. VI.* et THOMAS. *in Schol. ad Huberi Praelectt. L. XX. Tit. VI. §. II.* Quoniam vero per hoc iuris Civilis praecepta contingit, vt mala fides creditori patrocinetur, et miseri debitores, quos inopia debitum reddere prohibuit, res suas recipiendi, iure exuantur, summa cum aequitatis et prudentiae laude Serenissimus Elector Saxoniae contrarium *Const. I. Part. II.* constituit.

T A N T V M.




ULB Halle
006 385 451

3







23

Pr. g. num. 44.

1762, 10.

I V S
RELVENDI PIGNORIS
AN TEMPORE LONGISSIMO
PRAESCRIBATVR

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

P. 194.
D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XII. AVG. A. C. MDCCCLXII

DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTHELFF LORENTZ

ZWOENIZ. MISN.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA

